

1597

Et agatam, trans amnem Lanternam traditurum; ni sufficiant, Bagnacavallum, & Cotiniolam daturum; Lugo quoque in finibus sito, licet ægre in id descendat, cessurum: vicissim tantum reposcere, ut quidquid inter Sanctum Albertum, ac Primarium situm esset, ad Comaclii aquas arcendas tribuatur; vel aggeres obicesque ad earum incrementum atque impetum repellendum opponere permitteretur. Connubiis quoque allicit, ut nempe Joannis Francisci Aldobrandini nata filio jungatur; ea affinitate beneficij jure iisdem locis potiri posse ratus. Demum, ut coram minime suspectis judicibus causa agatur, flagitat: eodem tempore de concordia utilius majori cum dignitate, absque Pii V. diplomatis derogatione, tractari posse. Scripto Montecuculus postulata adnectit, ne e Republicæ ditionibus arma extrahi, neve pontificias copias per Venetos fines transire Senatus permittat: eadem se ab Insubrum gubernatore petiisse, neque alienum ab iis concedendis offendisse. Responsum est, opportunum eo tempore Senatum non censere, ut quidquam sigillatim decerneretur; de propensa Republicæ voluntate Cæsari nullum ambigendi locum esse; nihil de iis, quæ postulet, statui posse, quin Patrum fidei in negotio pertractando derogetur.

Delphinus de his omnibus certior factus, Clementem ad concordiam adducere summa ope nititur; ineundæ pacis leges proponit; quibus rejectis, tandem in hoc Pontifex persistit, ut, Ferraria ab Estense relicta, tum demum res agatur: Giliolo ejus oratori judices postulanti eadem objiciuntur, ut facile appareret, arte a Clemente tempus extrahi, quo Principum animi in ambiguo hærerent, Cæsarialis constantia frangeretur, atque interea ipse, quæ ad expeditionem necessaria forent, compararet; copiis Ferrariam appropinquantibus, populum anathemate perterritum tumultuaturum, atque palam, Cæfare relieto, Ecclesiæ accessorum, existimans. Anconæ interea Antistes Venetas pervenit, atque una cum Amerino Episcopo, Pontificis legato, collegium ingressus, ut Senatum ab ope Estensi præstanta averteret, in hanc sententiam est locutus.

Ancona  
Antistes,  
Pont.legati,  
ad Venetos,  
oratio.

*Si quis, Princeps Serenissime, Patres optimi, a Clemente octavo multa, eaque præclara & eximia in pontificatu gesta intue-*